

9344

1783, 26.

A D

ACTIONEM SPOLII ALIQVOD SPICILEGIVM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

D. XX. JAN. MDCCCLXXXIII

H. L. Q. C.

P R A E S I D E

D. CAROLO WILHELMO
WINCKLER

D E F E N D E T

AVCTOR ATQVE RESPONDENS

IOANNES THEOPHILVS MÜLLER

D R E S D E N S I S

L I P S I A E

E X O F F I C I N A S A A L B A C H I A .



ad

VOCATIONIS SPOTI
VNGAEC D SPOHOLGIAVM

HEAVETRIIS ICOTORVM ORDINIS

ACCOLORTATI

D. XX. JAN. MDCCLXII.

H. L. G.

PRAESES

D. GREGORIO MARTINICO
MINICERI

DEIANIRI

ACVTOB ATOMI RHOLOSPH

JOANNES THOPHILVS MELITVS

DEANIRI

EPISTOLAS

D. OTTAVIANVS ZACCARIA

Generalia.

Inter multas illas laudes, quibus non pauci legum doctores, iuris Romani disciplinam atque praecepta extollere solent, atque ornare, ea praeconia, quae ex studio illo, quemlibet ciuem in possessione sua contra aliorum vim tuendi, peti solent; iustissima esse, nemo est qui negabit, cum plurima huius studii in legibus Romanis occurrant vestigia; vix enim apud alias gentes tot, tamque efficacia subtilia comparata iis videmus, qui rei possessionem vel peterent, vel amittendae periculum subiissent, vel denique amisissent; ita scilicet, non solum legislatores, omnes ab aliorum in possessione sua turbatione poenis irrogatis deterruere, sed Icti etiam, interpretandis, supplendis ac corrigendis legibus varia iuris media, eaque caeteris actionibus tum ad instituendum commodiora et facilitiora, tum ad finiendum breviora, interdicta inquam, inuenere, quibus possesso vel acquireretur, vel retineretur, vel denique recuperaretur. Quod quidem studium ciues in rerum suarum possessione tuendi, Romani quoque Pontifices, forensibus negotiis feso immiscentes prae se tulerunt, ac inde iuris Romani de hac re sanctiones repetierunt, verum etiam; cum in turbulentis iisis medii aevi temporibus, omnes ii, qui armorum iure ac vsu carerent, praefertim ecclesiastici et ecclesiarum subditi, a nobilibus, quippe qui soli armorum vsu et militiae muneribus pollebant, saepius turbarentur, et de rerum suarum possessione deicerentur, omnia illa iuris Romani de possessione praecepta, maiori auctoritate roborarunt, cum non solum in laicos clericos de possessione deiicientes excommunicationis fulmine animaduerterent, sed etiam nouum deie-

IV

etis praebarent solatum atque munimentum actionem illam,
quae a spolio nomen habet, excogitando, de qua pauca iam
sum prolatus.

§. 2.
De notione spolia.

Spolium antiquitus arma, hosti in acie caesō, erupta, signifi-
casse, omnibus notum esse arbitror; ita enim Romulum, ar-
ma Acrontis, regis Caecinensium ^{a)}, Cornelium Cossum, To-
lumnii regis Veientium ^{b)}, Marcum denique Marcellum, regis
Gallorum ^{c)} ut *spolia* opima Ioui Feretrio dicasse, ita
plurimos Romanorum duces, parta victoria, capta e hostibus
arma, ceu *spolia* in Vulcani honorem cremasse ^{d)} legimus,
quae quidem spoliī significatio, vt de omni alia quoque ere-
ptione verbum spoliare diceretur, effecit, vbi tamē notan-
dum est, hoc verbo Romanos in causis forensibus tractandis,
dirimendisque vsos haud fuisse, multo minus turbationem
possessionis eo intellexisse. Nec id fieri poterat, cum Roma-
ni omnes fere lites, quae circa possessionem rerum orirentur,
per interdicta iudicarent, actio autem spoliī, iuris pontificii prae-
ceptis originem debeat, vnde *spoliī* vocabulum non nisi medio
aeuo in iure legibusque retenta aliqua erectionis notione oc-
currere videmus, ceu in *Sp. Sax. I. 39. III. 31.* vbi furtum
hac voce designatur. Aliam, eamque vt ita dicam nostrae
aetati magis accommodatam vocis *spoliī* significationem legi-
mus in praeceptione GVNTRANNI Regis post concil. Matifcon.
II. in Concilio Toled. XII. 10. ^{e)}, apud GREG. TVRON. IX. 30. ^{f)},
vbi

a) LIV. I. 5.

b) LIV. IV. 9.

c) PLVT. in Marcello.

d) LIV. XXIX.

e) Aut iniuria quibusdam *spolia*
inferre praesumant.

f) Promissa principis exponens,
dicit, neque villam nouam ordinatio-
nem se infesturum sperat eos, (scil.
equites) quod pertinet ad spolium
spopondit.

vbi quaelibet principum actio, contra ius fasque suscepta, praesertim si statuum priuilegia ea laederentur, hoc vocabulo denotatur, vnde factum esse videtur, vt iudicium quoque et magistratuum actiones iniustae eodem vocabulo interdum insignirentur ^{g)}, quamvis posterioribus temporibus in hisce speciebus actio spolii locum haud inuenierit. Aliam, eamque non ita visitatam verbi *spolii* significationem medii aei scriptores suppeditant, omnis generis vestimenta hac voce denotantes ^{h)}, quam significationem obseleuisse, nec vnuquam a legum conditoribus, vel doctoribus visitatam fuisse, vix est quod moneam. Videtur itaque *spolium*, vti nostris temporibus hac voce in iure utimur, recte explicasse, qui factum illicitum, quo quis in sua possessione turbatur, dixerit; ac ita plurimum eorumque doctissimorum I^Ctorum opinioni accesserit ⁱ⁾. Quod autem I. H. BOEHMER peruersam iudicis cognoscendi rationem spolium in statu iuridico appellat, adeoque actione spolii judicem ob quodlibet in iure dicundo vitium conueniri posse contendit ^{h)}, id veritati consentaneum mihi non videtur; et si non negem medii aei scriptores, formulae iudicariae mutationem perperam a iudice suscepitam *spolium* appellasse. Notum enim et expediti iuris est, actionem spolii ad retinendam recuperandam possessionem pertinere, vnde sequitur spolium, quod hac actione vindicatur turbatione vel erectione possessionis contineri, adeoque cum ii, qui coram iudicio disceptant, formulam iudicariam possidere dici non possint, sequitur iudicem, qui in tractandis causis forensibus, a legum norma recedit, quamvis iniuste agat, spolium tamen non committere. Deinde si vnum alterue medii aei scriptor in exarandis rerum gestarum monumentis, vel tradendis religio-

B 3 nis

g) c. 7. X. de restitut. spoliat.

Klagen §. 213. BOEHMER I. E. P. II.

h) DU CANGE h. v.

13.

i) cf. SCHMIDTS Lehrbuch von

k) in I. E. P. II. 13. 2.

VI

nis praeceptis, vel denique explicandis sacrae scripturae auctoribus, voce aliqua in sensu latiori, eoque ob id ipsum minus apto vtitur, exinde non sequitur, significationem illam rectam esse, ac eam quam apud scriptores istos habuit, significationem in iure retinere, quippe quod legum perspicuitati quam maximum afferret detrinumentum. Nec mouet me lex illa iuris canonici¹⁾, qua maritus, ab vxore desertus, *spoliatus* dicitur, adeoque spolium absque turbatione possessionis commissum dici videtur, hic enim possessionis aliqua ratio haberri potest, cum leges maritum in possessione vxoris esse haud negent, Romanae imo usucapere vxorem permittant^{m)}, ita, vt BOEHMER potius aliquam vocis spolii significationem, quam actionis instituenda, speciem videatur notasse; quae sententia nec ECKARDIⁿ⁾ auctoritate debilitatur, quamvis eadem, quae BOEHMER, affirmet, imo adiiciat, iudicem qui appellationi non obtemperet, vel uti pragmatici dicunt, attentatum committat, spoli reum esse, cum argumenta quibus haec opinio confirmetur, afferre non potuerit.

§. 3.

Origo Actionis.

Quamuis autem, vt demonstratum est, ius ciuile Romanum spolii vocem non agnouerit, multo minus possessionis turbationem hoc verbo notauerit, tamen, cum in iure Romano varia iuris remedia inueniantur, quae ad possessionem spectant, non defuere qui de actionis nostrae origine, iuri Pontificio adiudicanda dubitarent, imo iuri Romano actionis spolii elementa vindicanda existimarent^{o)}. Et huic quidem opinioni id praeципue obesse videtur, quod a similitudine, quae diuersa iura, leges, actionesque interdum intercedit, ad harum rerum origi-

1) c. g. X. *de restituut. spoliat.*

m) L. XII Tab. b.

n) ad SCHILT. II. 6. 21.

o) BOEHMER I. E. P. l. c.

originem fontemque communem haud colligi, multo minus vnam alteramue legem, ex simili quadam esse deduciam, ob solam similitudinem affirmari possit, cum quotidie fiat ut in remotissimis terrarum regionibus similes leges, similesque consuetudines inueniantur, quorum vna ex altera nata esse plane non potest. Deinde cogitemus verbum *spolii* ita ut nostri ICI eo vtuntur, in vniuerso legum Romanorum corpore, nunquam inueniri, tandem extra omnem dubitationem positum esse actioni, quea a spolio nomen habet, saepius locum esse, ac iure Romano interdicto *unde vi*, cui actio nostra secundum quorundam opinionem originem debet, denique autem negari non posse, formulam actionis spolii, ab illa interdictorum quam maxime recedere. Omnem autem dubitationem eximit tempus quo canon ille celeberrimus *Redintegranda*^{p)}, quippe qui ex omnium interpretatione consensu actioni nostrae originem dedit, confessus est, atque promulgatus, cum eo tempore ex iure Romano eiusmodi actio nec hauriri potuerit, nec, si potuisset, hausta fuerit. Conficit^{q)} scilicet Gratianus ille, saeculo duodecimo, canonum in concilio ecclesiasticis factorum, nec non epistolarum Romanorum Pontificum, quibus caeteris episcopis, super rebus et disciplinam et iurisdictionem ecclesiasticam pertinentibus interrogati, responderant, collectionem, et huic operi anno 1151. Germaniam Conrado II. ecclesiam Eugenio regente, Bononiae in monasterio S. Felicis et S. Narbonis finem imposuit. Nec contentus hac re studiosis iuris Canonici discendi adiumentum subministrasse, collectionem Eugenio Papae obtulit, qui in promouendis sacri imperii finibus quam maxime sollicitus, quo collectioni sibi oblatae, quam ob Isidori peccatoris canones insertos potentiae Pontificum quam utilissimam fore intelligebat,

p) C. III. qu. I. c. 3.

Frib. 1773. p. 276 seqq. CALDERIN.

q) cf. RÜGGER, I. A. *Opuscula, ad proem. deretal.*

VIII

bat, legis auctoritatem conciliaret, studuit, eaque de causa dicto anno ad Bononiensem Academiam misit, ut ius canonicum secundum Gratiani decretum, quod pro lege habere iusserrat, doceretur, imo ut doctores iuris canonici crearentur, effecit, eosque iis, qui iuris ciuilis doctores, veluti tunc dicebantur, legistae erant, anteposuit. Et profecto Eugenius ille, cum ius Canonicum, ciuili opponeret, illud secundum huius praecepta minime ordinavit, quippe quod Imperatoribus quam maxime fauens, in summo odio tum Eugenius, tum caeteri omnes Romani pontifices habuere. Ne vero quis mihi obiciat, Germaniam saltim ex Romanis legibus actionem spolii hausisse, nonendum videtur, sanctiones Pontificum Romanorum non solum, illo tempore, quo confessum ab Gratiano fuit decretum, sed etiam eo, quo Ioannes Papa, canonem Redintegranda edidit, apud Germanos legalem, habuisse auctoritatem, cuius rei veritatem collationes REGINONIS Pruniensis a. 906. et BVRCHARDTI Wormatiensis a. 1020. confessae, probant, cum ius ciuale demum saeculo decimo tertio in Germaniam irreperitur, quippe quo tempore ad usum iuris Romani minuendum Epkouius speculum Saxonicum compositum, et ibi actionis spolii mentionem fecit; Deinde vero, nulla actioni spolii cum Romanis illis interdictis similitudo intercedit, cum haec a caeteris Romanis actionibus non nisi eo differant, quod solam possessionem spectent, ex praetorum editiis originem ducant ac singula, ad singulas tantum species, circa possessionem obuenientes, applicentur, caeterum, eadem ac reliquae actiones, formula tractentur; cum e contrario actionis, de qua hoc loco tractatur, ea sit indoles, ut summaria quadam agendi formula gaudeat, ad retinendam pariter et recuperandam possessionem adhibeatur, imo, exceptionis instar, ea vti possis.

§. 4.

§. 4.

Quando locum habeat actio spolii.

Ex iis quea huic visque disputata sunt, cum pateat, spoliū nonnisi ratione possessionis committi posse, sequitur actionem spolii in sola possessione, vtroque modō defendenda contineri; adeoque duplēcē eius usum esse, cum duplex eorum, qui ad hanc actionem consūgiunt soleat esse conditio, qui scilicet a possessione sint deiecti, vel tantum in ea turbati. Et primam quidem speciem quod attinet, obseruandum est ad spolii actionem instituendam nudam possessionem sufficere, adeoque actionem hanc locum habere, quamvis ille, qui spoliū commissi reus est, ius optimum idque firmissimum in ea re habeat, de cuius possessione alterum deiecit^t). Noui quidem, non omnes iuris interpres huic opinioni assentiri, imo inueniri ICtos qui legum praefidiis instruciā eam minuere studeant^s), eaque de causa praecipue in c. 6. X. de caus. poss. prouocare non dubitent. Qua re falli mihi videntur. Etsi enim dictum capitulum praecipiat, in executione potiorem proprietatis quam possessionis rationis habendam esse, tamen capitulum hoc nostram causam spectare, constantissime negauerim, cum INNOCENTIVS III, l.c. de ea specie agat, si possessoriū ordinariū simul cum petitorio sit institutum, ac uno tempore finitum; non vero de actione spolii, contra deliciētem de possessione instituta, dictus INNOCENTIVS loquatur; cui accedit GREGORII IX auctoritas^t), qui disertis verbis pronunciat in actione ob spolium perpetratum instituta, nullam plane dominii, sed tantum possessionis rationem habendam esse. Alterum quod adversarii, ad nostram refutandam sententiam afferunt argumentum PAVLLI Romani ICti patrocinio corroboratur^u), ex cuius mente

r) LEYSER ad n. 504. 10.

s) HOPPIVS ad §. 6. Inst. de interd.

t) c. I. X. de rest. spoliatt.

u) l. 8. pr. ff. de doli mali except.

mente opinionem suam confirmare student; sed perperam, cum non solum de specie a spolio quam maxime diuersa, PAVLLVS agat, ita vt ne verbum quidem de possessione l.c. legas, sed etiam actio spolii, quippe quae iuri Pontificio originem debet, ex iuris Romani praceptis diiudicari plane non possit; deinde Romanae quoque leges inueniantur, quae possessionis causam defendant, adeoque dominum, qui praeter ius vi, armisque rem suam ab iniusto possessore vindicauerit, iure suo, priuandum censeant ^{x)}; quia de causa is, qui aedem aliquam habitationis causa conducit, si a domino quocum locationis conductio contractum iniit, electus fuerit, actione spolii aduersus eum experiri potest, quamvis ipse stipulatum mercedem haud soluerit, imo in hunc euentum aedem locatam relinquere promiserit; negari enim non potest, conductorem, rei conductae esse possessorem ^{y)}. Quo verius autem est et quo pauciores inueneris, qui deiectione a possessione spolium committi negent, eo difficilius multis persuaseris, etiam turbatione possessionis spolium perpetrari, cum plurimi interpres actionem spolii non admittendam censeant, nisi quid fuerit ablatum vel quis a possessione plane deiectus; quamvis enim LEYSERV^{z)} turbationem possessionis, disertis verbis ad spolium referre videatur, tamen species illa, quam exempli gratia commemorauit spolium potius nominandum est, ablacione rei mobilis commissum, quam mera possessionis alienae turbatio. Si autem verum est, in legibus cum interpretandis, tum vero ad species obuenientes applicandis, ipsarum finem sumiuim mentemque legislatoris, ceu vt alias vocari solet, iuris analogiam in auxilium vocandam esse, sane et hoc loco aliqua, imo summa eius erit aucloritas. Primum enim inter omnes constat, adeoque probatione non eget, actionem spoli

^{x)} I.7. C. unde vi.

^{y)} I.33. ff. loc. cond. BERGER. Oec.

Iur. II 6.I. n.1. IDEM El. proc. poff. 21.

^{z)} ad π. 503. 6.

lii eo fine esse inuentam atque introductam ut securitati ci-
vium ratione possessionum suarum prospiceretur, quae quidem
ratio actionis ad turbationem possessionis applicationem non
permittit, sed suaderet iubetque cum ciuium tantum possessiones,
si ab omni vexatione immunes esse debent, a turbatione qua-
que ut vindicentur, necesse est. Deinde actio spoli, communi
omnium I^Ctorum consensu saepius locum inuenit, ubi posses-
sio spoliati tantum fuit turbata; ita enim is, qui rei ab altero
iam possessae possessionem et ipse arripit, spolium perpetrat ^{a)},
quamvis hac ratione is, qui primus rem litigiosam occupauit,
de eius possessione nequaquam deiiciatur, sed tantum in ea
turbetur, cum ipsis haud volenti socius obtruditur, adeoque in
possessione quiete exercenda impediatur. Eadem ratione
praeter interpres ^{b)} leges ^{c)} quoque tunc spolium committi
dicunt, si fundi alicuius possessor, quamvis inde non eiiciatur,
tamen a tertio aliquo a fundi administratione intercludatur,
qua re turbationem quidem possessionis non vero deiectio-
nem inuenieris. Tandem expediti iuris est ratione iurium,
quorum exercitio aliquis prohibetur, spolium committi,
quamvis eiusmodi actus mera sit turbatio ^{d)}. Denique ipsa
quoque legum verba spolium in re incorporali posse perpetrari,
affirmant, licet nec auferri, nec ab illarum possessione aliquis
deici, sed tantum in earum possessione atque vsu possit tur-
bari ^{e)}, beneficia enim, quippe quae tum certo ordine in ec-
clesia obtinendo, tum reuerentia canonico a caeteris clericis
laicisue demonstranda, tum iure certos reditus percipiendi,
tum vero facultate sacra administrandi, continentur, ad res
corporales, quorum possessione homines exui possunt, nequa-
quam retuleris. Si itaque actio spolii, in vna alteraue turba-

B 2 tae

a) LEYSER *ibid.* 404. 4.

d) BOEHMER *decif. II* 1024.

b) LEYSER *l. c. 8.*

e) *c. 5. X. de restit. spoliari.*

c) C. 3. qu. 3. c. 1.

tae possessionis specie recte instituitur, quid impedit, quo minus in caeteris possessionis turbationibus instituatur, haud intelligo, praesertim si quis ita sit turbatus, ut restitutio aliqui sit locus. Notum scilicet est, actionem spolia ad restitutioem pertinere ^{f)}, ita ut in libello, restitutio a reo facienda, peti debeat; vnde intelligitur eam possessionis turbationem, quae non nisi verbis peracta est, hac actione persequi non posse; quia in eiusmodi causam restitutio non cadit; cum e contrario, omnis turbatio, qua in ea re ubi exercetur, aliquid mutatur, vel corruptitur, spolium sit, adeoque actione spolii vindicari possit, scilicet si quis in alterius horto ius pascendi sibi afferens, fossam, qua cingitur hortus, compleuerit, murum quo circumscrubitur, prostrauerit, vel lignaeum parietem qui circumductus est, deiecerit, is, spolii reus possit postulari. At spolium non solum circa rerum immobilium possessionem, verum etiam in rebus mobilibus, ab alio iam possessis, arripiendis auferendisque interdum committi, affirmare posse mihi videor. Militat autem pro hac sententia, eiusque veritatem defendit, de qua paullo ante dixi iuris analogia, e fine actionis petita, cum rerum mobilium indoles atque natura ita sit comparata, ut earum possessio multo facilius possit subuerti ac rerum immobilium, adeoque ratione illarum faepius certetur, quam harum de causa, vnde fit ut plura facta illicita circa rerum mobilium, quam circa rerum immobilium possessionem adeoque et spolia perpetrari soleant. Nec ipsae leges analogiae huic vlo modo sunt contrariae, imo disertis verbis rerum mobilium possessionem hac actione tueri permittunt; in cuius rei fidem GRATIANO ^{g)} testimonium denunciare liceat, qui ablata spoliatis restituenda esse praecepit; quod argumento esse potest res mobiles quoque hac actione vindicari potuisse, cum haec, non vero immobiles, possint auferri.

Idem

f) SCHMIDTS *Lerbuch von Kla-*
gen §. 216. g) C. 3. qu. I. c. I.

Idem colligi potest ex alio decreti canone ^{b)}, vbi episcopus spoliatus rebus suis carere dicitur, eaeque, vel ecclesiae vel episcopo sint, reddi iubentur, quae quidem sanctio GREGORIO IX ⁱ⁾ pontifice Rom. probatur, qui episcopis spolium passis, *res per spolium ablatas censet restituendas*. Denique interpres legum disertis verbis, etiam in possessione rerum mobilium inuadenda spolium perpetrari posse affirmant, et res sic ablatas spolii actione repetendas censem, BOEHMERVS ^{b)} scilicet, ANTON FABER ¹⁾, WERNHER ^{m)} et pragmaticorum ille summus quasi magister, CARPZOVIVS ⁿ⁾. Cum itaque spolium in turbatione possessionis ab altero iamiam occupatae continetur, quaestio fortassis moueri posset, vtrum quaelibet possessio, huic actioni fundamento esse possit, an vero certum aliquod tempus, quo possessio fuerit coniuncta ad actionem spolii legitime instituendam requiratur. Et hoc quidem expediti iuris est praescriptam possessionem, quae longo tempore, iusto titulo et bona fide nititur, ad actionem spolii instituendam haud exigi, cum in hoc iudicio non de possessionis iure, sed de turbatione disceptetur, et haec tantum ea puniatur, praescripta vero possessio non nisi ad dominium probandum in auxilium vocari debeat: quae, quamvis ita sunt, tamen non defuerunt ICti, qui vt spoliatus rem in cuius possessione fuit turbatus iusto titulo possederit, exigant ^{o)}, sed iniuria, vt mili videtur; cum, vti iam dictum est, in spolii iudicio nulla plane iuris, sed solius possessionis ratio habeatur, ita, vt praedo quoque a domino de possessione deiectus, debeat restitu ^{p)}. Temporis vero spatium, quod attinet, quo is, qui actionem spolii instituit, rem, ratione cuius perpetratum est spolium, vt possederit, requiritur, admodum breue, imo horarum

B 3

aliquid

h) C. 3. qu. I. c. 3.

m) Olf. I. 123.

i) c. I. X. de restit. spoliatt.

n) Vsp. I. 3. 3.

k) L.E.P. II. 13. 3.

o) HOPPIVS I. c.

l) in Cod. I. 10. def. II. n. I.

p) c. 12. X. de rest. spol.

XIV

aliquid sufficit; quamvis enim INNOCENTIVS III^{a)} praecipiat, dominum, qui violentum possessionis iusquod est, statim et continuo e fundo per vim occupato, vi armisque deiciat, spolium non committere, tamen hac lege longius quoddam possessionis tempus propterea non exigitur, quod de iis, quae in ipso aggressionis momento fiunt, adeoque ad defensionem pertinent, loquitur Papa; non vero de longiori aliqua possessione agat; cui accedit, quod nulla in omni canonico iure inueniatur lex, quae possessionem per longum aliquod tempus idque certo determinatum, ad actionem spolii instituendam requirat, cum e contrario omnes quae de hac re sanctiones scriptae leguntur, nihil nisi alienae possessionis turbationem respiciant, adeoque et interpres solam possessionem, eamque momentaneam ad possessoria iudicia instituenda, censeant sufficere^{r).}

§. 5.

Action spolii an sit summaria.

Cum autem ICto, qui causis orandis operam est datus ad actionem spolii rite ac feliciter instituendam scire non sufficiat, quando locum inueniat, sed formula quoque qua in actione proponenda atque tractanda est vtendum, actori nota esse debeat, et de hac re pauca videntur dicenda. Pauca inquam, nolo enim multa largaque oratione de iis quae ad libellum conficiendum, probationem conscribendum, dicta testimoniis in disputatione super attestatis relevanda, exiguntur, dicere, cum de hisce rebus omnibus plures ICti, iisque doctissimi saepius egerint; id potius agam, ut, cum actio haec a nonnullis ad ordinaria, ab aliis vero ad summaria iudicia referatur, quae verior sit sententia eluceat. Cum vero huius actionis ea sit natura ac indoles ut per omne Imperium Romano Germanicum

u) c. 8. X. *ibid.*r) BERGER *Oec. Iur.* II. 6. 3. *El. Pr. poff.* 22.

cum ea vti possis, in Germania autem duplicitis generis iudicia inueniantur, ordinaria scilicet atque summaria, ac ea iudiciorum diuersitas in Saxonia quoque licet certis finibus sit circumscripta, locum habeat, ad illud actionum genus a non-nullis actio haec refertur, quo omnes solennitates et plena fatalium spatia, sunt obseruanda. Et videtur quidem actioni huic in ordinariarum causarum agmine locus vindicari, si consideraueris in processu summario ad veritatem libelli probandam, meram *demonstrationem* sufficere, quod hic fecus est, cum actori, si reus spolium commissum negauerit, iniungatur probatio, deinde reo in prima citatione spatium 45 dierum esse concedendum, porro eidem licere contra actoris testes excipere, eaque de causa interrogatoria iudici tradere, denique omnia, quae in ordinaria iudiciorum formula sint obseruanda, in hoc spolii iudicio omitti non posse. Quae quidem quamvis ita sint, tamen spolii iudicium vt causis ordinariis annumerem, me non mouent, cum non desint argumenta, quibus actio haec summarisi iudiciis optime vindicatur; negari enim non potest eas causas quae in Camerae Imp. iudicio mandatis vel cum, vel sine clausula definiuntur, ad summarias esse referendas, cum in eiusmodi iudicio reus non statim ad litem contestandam sub praetudicio citetur, sed communicato libello, vt actori satisfaciat, vel in scripto Camerae tradendo (*Bericht*) exceptiones proferat, et ius suum exponat, ipsi iniungatur, deinde si spolium negauerit actor ad huius probationem admittatur; quo facto reus non per sententiam contemnatur, sed praecepto poenali, quod *mandatum* vocari solet, ad spoliatum restituendum cogatur. Si itaque causa aliqua, eo, quo dixi modo pertractatur, recte ad summarias eam retuleris, quod et hic accedit, cum actio spolii processu mandati in Camerae Imp. iudicio absoluatur. Deinde, negari quidem non potest, in Saxonia reo in prima citatione, quae sub
prae-

XVI


praeiudicio sit, 45 dierum spatum esse relinquendum, sed hac re discrimen iudicij ordinarii et summarii haud continetur, videmus enim in possessorio momentaneo, et processu executivo, primam citationem eiusmodi spatum Saxonicum includere, cum nemo neger, utramque causam ad summaria iudicia recte referri, cui accedit, quod omnes citationes quae sub praeiudicio fiunt, spatum Saxonicum necessario continere debeant, nisi legislator contraria sententiam expressis verbis declaraverit. Aliud argumentum quo huic actioni inter summarias locus vindicari potest, a breui illo spatio ad probationem confiendam actori reliquo peti potest, quae res discrimen ordinarii ac summarii iudicij continere videtur, ceu patet ex processu iudicij mercatorii Lipsi, qui quamuis ex omnium consensu ad summaria iudicia refertur, tamen nonnisi breui tempore ad probationem partibus reliquo, ab ordinario recedit.



ULB Halle

002 802 503

3



56.

vol 18



B.I.G.

Centimetres	8	7	6	5	4	3	2	1	0
Inches	3.14	2.76	2.36	2.01	1.65	1.30	1.00	0.64	0.00
Farbkarte #13									
Blue	1	2	3	4	5	6	7	8	9

Farbkarte #13

Blue	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Cyan									
Green									
Yellow									
Red									
Magenta									
White									
3/Color									
Black									

9344

A D

1783, 26.

ACTIONEM SPOLII ALIQVOD SPICILEGIVM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

D. XX. IAN. MDCCCLXXXIII

H. L. Q. C.

P R A E S I D E
**D. CAROLO WILHELMO
WINCKLER**

D E F E N D E T
AVCTOR ATQVE RESPONDENS
IOANNES THEOPHILVS MÜLLER

D R E S D E N S I S

L I P S I A E
EX OFFICINA SAALBACHIA.

